

habent eae bestiae, quae pauca gignunt. Quid dicam, quantus amor bestiarum sit in educandis custodiendisque iis, quae procreaverunt, usque ad eum finem, dum possint se ipsa defendere? etsi pisces, ut ajunt, ova cum genuerunt, relinquunt. Facile enim illa aqua et sustentur, et fetum fundunt.

Cap. LII. Testudines autem et crocodilos dicunt, quum in terra partum ediderint, obruere ova, deinde discedere. Ita et nascuntur, et educantur ipsa per sese. Jam gallinae, avesque reliquae et quietum requirunt ad pariendum locum, et cubilia sibi nidove construunt, eosque quam possunt mollissime substernunt, ut quam facillime ova serventur: ex quibus pullos quum excluserunt, ita tuentur, ut et pennis foveant, ne frigore laedantur; et si est calor a sole, se opponant. Quum autem pulli pennulis uti possunt, tum volatus eorum matres prosequuntur; reliqua cura liberantur. Accedit etiam ad nonnullorum animantium et earum rerum, quas terra gignit, conservationem et salutem hominum sollertia et diligentia. Nam multae et pecudes et stirpes sunt, quae sine procuratione hominum salvae esse non possunt. Magnae etiam opportunitates ad cultum hominum atque abundantiam aliae aliis in locis reperiuntur. Aegyptum Nilus irrigat, et quum tota aestate obrutam oppletamque tenuit, tum recedit, mollitosque et oblimatos ad serendum agros relinquit. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates: in quam quotannis quasi novos agros invehit. Indus vero, qui est omnium fluminum maximus, non aqua solum agros laetificat et mitigat, sed eos etiam conserit; magnam enim vim seminum secum frumenti et similium dicitur deportare. Multaque alia in aliis locis commemorabilia proferre possum: multos fertiles agros, alios aliorum fructuum.

Cap. LIII. Sed illa quanta benignitas naturae, quod tam multa ad vescendum, tam varia tamque jucunda